



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Nobili Viro R. Comiti Licij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

deri, ne pro defectu temporalium rerum propositum ejus valeat impediri. Et quoniam quidam, coram te propriis nominibus designandi, eum dicuntur rebus propriis contra justitiam spoliasse, alij verò manus in eum sacrilegas injecisse; volumus & mandamus ut si rem ita invenieris se habere, & primos ad ablata redenda in integrum appellatione remota compellas, & alios excommunicatos publicè nunties, & sicut excommunicatos tamdiu facias evitari, donec passo injuriam s. c. &c. t. r. l. a. s. a. u. a. Datum Laterani VII. Idus Septembris.

*CANTVARIENSI
Archiepiscopo.*

*Epist. 181.
Vt abulum
quendam in
Processionibus
corrigat.*

Cum bona sint coram Deo & hominibus secundum Apostolum providenda, Episcopis, qui successores Apostolorum existunt, & lux mundi & sal terræ Veritatis testimonio perhibentur, est summopere attendendum ut via regia incedentes, nec declinantes ad dexteram vel sinistram, neque conscientiam propter famam neque famam pro conscientia derelinquant; sed sic inter ea irreprehensibiliter gradientur, quòd nec impij apud Deum, qui videt in corde, nec crudeles apud homines, qui vident in facie, judicentur. Sanè conquerentibus dilectis filiis monachis Cantuariensibus nostris est auribus intimatum, quòd te præsente, in processionibus quæ in Ecclesia ipsa solenniter celebrantur, quandoque præcedunt quandoque sequuntur inter te ipsosque monachos, quasi separantes caput à membris, Clerici seculares, eorundem insuper stalla in choro contra consuetudinem coartantes. Ex hoc autem dignitati Cantuariensis Ecclesiæ plurimum detrahitur & honori, & scandalum, sicut dicitur, generatur in cordibus infirmorum, ac quies Deo famulantium perturbatur, & devotio deperit popularis, dum in eodem collegio diversæ professionis & habitus cernuntur homines sociari: quorum alij vestiuntur vilibus, alij pretiosis; quidam velatis incedunt capitibus, alij denudatis. Cum igitur sit incongruum ut in uno & eodem officio professio dispar existat, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus circa ea quæ præmissimus corrigenda sollicitudinem adhibeas pastoralem; ut & scandalum tollatur de medio, propter quod multa sunt

sæpius omittenda, sicut jam alia vice tibi recolimus intimasse, atque in Cantuariensi Ecclesia regimini tuo commissa, quæ celebrem locum obtinet inter Ecclesias Anglicanas, nihil reprehensione dignum occurrat, unde ad alias religionis & honestatis exemplum convenit derivari. Tunc enim meliùs, sicut tua fraternitas non ignorat, subditos tuos corrigere poteris, & ad frugem reducere meliorem cum in capite nihil inventum fuerit quod meritò debeat reprehendi. Dat. Lat. Idibus Septembris.

*NOBILIVIRO R. COMITI
Licij.*

Devotionis & fidei puritatem, quam erga nos & Romanam Ecclesiam matrem tuam ac regis sublimitatis coronam habere dignosceris, diligentius attendentes, petitionibus tuis libenter annuimus, & eas, quantum cum Deo & honestate nostra possumus, gratanti animo promovemus. Eapropter, dilecte in Domino fili, tuis justis precibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus bonis quæ impræsentiarum rationabiliter possides, specialiter autem Licij Comitatum, aut in futurum justis modis Deo propitio poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c.

TARVISINO EPISCOPO.

Significasti nobis per litteras tuas quod quidam Clerici tuæ diocesis, licet ecclesiastica beneficia sint adepti, comam nutriunt, quidam etiam incedunt in habitu laicali, laici quoque ascribi volentes militia clericali, cum à te promoveri non possint, cum litteris Archidiaconi tui ad Episcopos vicinos accedunt, & ab eis se faciunt ordinari. Volentes igitur hujusmodi excessibus obviare, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus Clericos qui comam nutriunt, & incedunt in habitu laicali, nisi ad commonitionem tuam deposuerint comam & clericalem servaverint tam in vestibus quàm in aliis honestatem, usque ad correctionem idoneam à beneficiis suorum perceptione, sublato appellationis obstaculo, nostra & tua frater auctoritate suspendas. Interdicas autem Archidiacono tuo ne sine conscientia & auctoritate tua concedat suas litteras promo-

*Supra lib. 1.
epist. 432.*

*Epist. 181.
Recipit illum
sub protectione
apostolica.*

*Epist. 181.
Ne Clerici
comam nutriant,
aut laicali
veste utantur.*

*Cap. Significasti
De officio
Archidiaconi.*